Berg n—

IOELIS PRO-PHETAE CONCIO DE PERSECVCIONE, POPVLI IVDAICI, ET DE VERA POENITENTIA.

Carmine comprehensa,

IOHANNE STIGELIO autore.

Eiusdem Stigelij PRECACIONVM Liber primus.

ESAIAE XXX.

Cum conuersus ingemueris, tunc saluaberis.

IENAE
M. D. L V.

STIGELIVS.

Sic Pater ex animo sobolis qui crimina deflet,
Quem dolor offensum, quem simul ira mouet,
Et noxæ meritam damnando indicere pœnam,
Et leni miseris mente fauere solet:
Vt facit, austeri scripto accusante Ioelis,
Et ueniam pariter corda docente, DEVS.
Qui sapis, admonitus uitam emendare memento,
Et confide Deo, sic tibi mitis erit.
At quem cæca iuuat, culpæq; ignara uoluntas,
Exicium proprio triste furore feret.

ILLVSTRISSI
MO AC GENEROSISSI-
MO PRINCIPI, AC DOMI-
no, Domino Iohanni Friderico III. Du-
ci Saxoniæ, Landgrauio Thurin-
giæ, Marggrauio Misniæ,
Principi suo & Domi-
no clementissi-
mo.

IOHANNES STIGELIVS
S. P. D.



OMmunis querela est omnium hominum, *de ærumnis & miseriis uitæ humanæ, usurpata omnibus temporibus, etiam iis hominibus, qui opinione sapientiæ magni ac præclari sunt habiti, ut uel Tragœdiæ declarant, quod genus scriptionum in id uidetur esse inuentum, ut ob oculos ponat perpetuas lamentationes generis humani, cum tristissimis casibus atq; ærumnis conflictantis. Et quidem ipsa uita humana quid est aliud quam perpetua Tragœdia, in qua feruent miseriæ, ardent dolores, gliscunt gemitus, & perstrepunt querelæ. Intueamur circulum actionum humanarum, continuum occurret spectaculum horrendæ confusionis. Fremunt Reges tumultuantur Principes, furit populus. hoc lugubre exercitium bellis, rapinis, cædibus, ui doloq;, publicè & priuatim peragitur, peragendi exitus calamitate & miseria continetur. In hac mundi Tragœdia, iactatur cœtus*

 iste

iste exiguus & obscurus, ac neglectus, rectè agnoscentium & celebrantium Deum, qui quoniam in speciem deformis est, nec melius habet quam reliqua multitudo, imo etiam peius, uehementer offendit politicorum hominum animos, qui dum causas calamitatum non intelligunt, feruntur & ipsi communi errore atq; culpa, ut & sinistrè iudicent, de cursu uitæ humanæ, & præposterè uitam agant, nec agnoscant sua delicta, nec indignationis & querelarum modum inueniant, non alieni à uulgi & plebis insania. Ita fertur equis auriga, neq; audit currus habenas. Ac mirum est, uidere diuersissimas errorum quasi nebulas ac monstrosas imagines, dum alius fortunam & casum, alius necessitatem, nescio quam, alius ipsam diuinam prouidentiam accusat, & quasi in ius uocat, causas calamitatum à se procul amoueri, & quasi proscribi opinatus, dum in id, quod proxime succurrit stultæ cogitationi, deriuare suas sordes, sua scelera atq; delicta conatur. Ex hac opinione Græcis est usurpatum hoc. Fortunam esse iniquam propinatricē generi humano, quæ unum alicui bonū propinans, semper affundat tria mala. Quis autem ferat seruulum istum necessitate excusantem sua scelera. Fato peccaui, Nemo fit fato nocens. Sed eorum maxima est & execrabilis insania, qui Deum ipsum malorum autorem audent dicere, qualem in Aegistho uel Homerus depingit, sapientissimè declarans ueras causas miseriæ humanæ, ex ipsa hominum uoluntate proficisci. Quid igitur? nonne uel Ethnici Poetæ commonefactione, potius peccatum deplorandum esse fatebimur, quam ipsas calamitates? siquidem omnis causa miseriæ humanæ ex delicto nascitur hominum, nec quisquam est, qui sibi ipsi non sit autor fortunæ suæ, si ad originem contingentium in hac uita respiciamus. Quod cum ita sit, consideremus quæso causas malorum, propiusq; animo, quasi collustremus fontes miseriarum, iis enim cognitis, & mitigatio & remedium rectius peti atq; comparari poterit. Sciendum igitur est, ex uno fonte promanare calamitates omnes, quæ in genus humanum redundant, ex quo scaturit peccatum hominis, quod est in mente horrenda confusio & cæcitas, & in uoluntate execrabilis auersio à Deo, & in corde uagus & contra ordinem sceleratè ruens impetus. Hoc uenenum contumaciæ aduersus Deum, cum à Diabolo inspiratum sit primis parentibus generis humani, & contagiosa labe propagatum in posteros, non modo regnat in homine autoritate quadam originis suæ imperiosa, sed etiam augetur omni momento

mento ac cumulatur uoluntariis delictis. Quocirca iustißimo ordine constitutum est, ut qui mala faciat, uicißim mala perferat, atq; ærumnæ generis humani nihil sint aliud, quam pœnæ delictorum. Omnium igitur malorum in uita humana, siue sint αὐτόματα, ut Mors, morbi, pestis, fames: siue ἑκούσια, ut bella, cædes, rapinæ, damna, una & principalis causa est peccatum, hoc est, humanæ uoluntatis præpostera actio & contumacia aduersus Deum. In uoluit autem his malis tam pios quam impios homines, immota Dei iusticia, ut illis sint δοκιμασίαι, his uero τιμωρίαι. Nam quia multis de causis subiecta cruci est Ecclesia, uult Deus & iram suam, & iusticiam, etiam ex ærumnis piorum conspici, ut animi agnoscant peccati magnitudinem, & in timore Dei perseuerent, aut hallucinati atq; lapsi, dolore culpæ suæ, & agnitione iusticiæ diuinæ, rursus erigantur ac resipiscant. Ita in uniuersum affligitur genus humanum, omnibus hominibus causam malorum præbente peccato, quo contaminati sunt omnes, ipso tamen ordine iusticiæ diuinæ disciplinam proponente resipiscentibus, contumacibus uero & obduratis pœnas, ut calamitatum omnium finis sit ac meta, disciplina & pœna. Sicut enim uolutantur in omni genere uitiorum, homines dissoluti & impii, ita pœnas etiam sibi accersunt, cum modo delictorum congruentes. qui uero lapsus suos atq; errores agnoscunt, ij pœnarum exemplis erudiuntur, ut occasionem uitent delinquendi, & rationem ineant uiuendi sanctius, ideo sentiunt consolationes in ærumnis, & tolerant aduersa fortius, & in periculis liberantur, ut Psal. inquit. Multæ adflictiones iustorum, sed ex omnibus his liberat eos Dominus. Et alio in Psalmo, Spiritus sanctus idem discrimen adflictionum describens, familiari imagine Patrisfamilias pingit Deum, ueluti in medio stantem, manuq; tenentem calicem adflictionum, ex quo pii bibant florem & puriorem succum, impii uero exhauriant feces in fundo subsidentes. Iam si quæris, quæ mitigatio, quodue remedium in tanto turbine malorum opponi miseriis poßit, ad prophetarum conciones animum reuoca, qui simul & causas calamitatum monstrant, & modum auertendi eas præscribunt. Quid igitur illi? num fremere, ringi, stomachari, num lamentari, ferire frontem, fodere genas, lacerare uestes, num deniq; docent mitigationes, consolationesq; in rebus aduersis, ab ulla potius ratione peti poße, quã ab emendatione factorum, uitæq; correctione scelerate atq; turpiter actæ.

 Profecto

Profecto culpam iubent agnoscere, totoq; pectore exhorrescere atq; reformidare peccatum, iustumq; odium uero Zelo conuersionis, ad Deum suscipere, aduersus naturæ humanæ morbos, aduersus contumacis uoluntatis prauas inclinationes, confugere ad misericordiam Dei per filium ipsius: petere effracto atq; subacto corde remißionem delictorum, opem, præsidium, tolerantiam: uacare legitimæ functioni & officio: constantem esse in confeßione. Ita sane malorum omnium θελγητρόν & ἀλεξητήριον proponunt, pœnitentiam & fidem. Atq; hæc duo cum peculiari studio uariè & copiosè doceant Prophetæ omnes, unus Ioel præ cæteris angusto & breui scripto, ita plene atq; integrè tradit, ut nihil poßit exactius atq; perfectius, nihil meliori ordine tradi ac doceri. Intuenti uero mihi in hæc nostra tempora, quibus adeo omnis disciplina pietasq; collapsa est, ut nisi concione pœnitentiæ cohereeantur ac refrenentur hominum animi, nihil expectari præter interitum poßit, uisum est multum consolationis ex grauißima concione Ioelis proficisci posse in usum uitæ humanæ, si eius oratio ex angustia breuitatis explicata, & illustrata carmine, potentius feriret hominum aures, animosque non modo grauitate commoueret, sed etiam suauitate inuitaret. Itaque uox eius, latino in sermone, numeris est à me instructa, & animata uersibus, ita tamen, ut quantum fieri potuit, sensui uis sua atq; integritas sit relicta. Mouit me ad hoc institutum etiam similitudo horum temporum, quorum idem in Ecclesia propemodum status est, qui fuit concionante Ioele, ante seruitutem Babylonicam. Etsi enim quo tempore is uixerit certo statui non potest, quidam enim sub Manasse, quidam sub Sedechia, eius tempus aßignant, Tamen ex circumstantiis satis adparet eum tunc floruisse, cum peruersitas populi Iudaici ad summum aucta, intensaq; ampliata fuit, & impendens institit pœna impietatis, maturante Numine diuino furorem hostis Babylonici. Conqueritur Ioel de magnitudine delictorum, & de perturbatione Status religionis, ac monet fore, nisi resipiscant homines, ut impreßione hostili omnia subuertantur, Quid aliud nostro tempore deplorandum omnibus piis est, dum non modo foris impendet uastatio Ecclesiæ, Sed domi etiam & in ipso Ecclesiæ corpore, tot sectæ oriantur indies, absurdißime de summa cultus diuini disceptantes? Quid aliud expectandum porro est in uniuersum quam hostium potentißimorum incursiones, qui iam tum non obscure glori-

antur

antur sibi ob nostra delicta uires augeri, & ampliari successus. Quid quod cō atrociora sunt delicta omnis generis, quo mundi ætas magis inclinat ad finem? Germaniam profecto adeo quædam flagitia obruerunt, quædam inuaserunt nuper, ut pertimescendum sit, ne periclitanti paulo post, ullus locus saluti relinquatur. Quam enim fœdum est usuræ crimen, quæ uelut lepra quædā contagiosißima, adeo irrupit in omnes ordines hominum, adeo perfidiose ac flagitiose exercetur, in urbibus, atq; agris, apud infimos, medios, & summos homines, ut paßim nihil aliud contractus & cōmercia re uera dici poßint, quam mutuæ corrosiones & deglutiones, omnium neruorum, omnium uirium communis patriæ? Quantum sceleris est in Ebrietate? cuius fœditatem & pœnas meritas, Ioel etiam deplorat. At hæc apud Germanos ita sibi fixit atq; fulciuit sedem, ita omnium animos ac sensus occupauit, ut nihil sit moribus nostris & temporibus altius infixum, nihil usitatius, nihil familiarius, nihil exterminari poßit ægrius, adeo ut qui conuersationes, societates, conuiuia inspexerit, nimis uere poßit usurpare uulgatum istud. Hic nihil est aliud uiuere, quam bibere. At quanta uiciorum ac scelerum monstra, ex belluationibus expullulent quotidie, lateq; ac longe sobolescant ac propagentur, quis hominum ignorat? Venio ad crimen quod in peierandi & execrandi furore occupatum, abusu nominis diuini horribiliter delinquit, adeo contaminatum blasphemia, ut mirum non sit, ob hoc solum peccatum descendere cataractas cœli, in perniciem humani generis. Quid illud uero, quo limphata atq; fascinata Germana iuuentus, insanientium more discurrit ad nundinationes istas flagitiosæ militiæ, & effrenatæ ostentationis, qua nunc geruntur bella, ignauiæ, rapinis, furtis, libidini, ac sexcentis aliis sceleribus, uel ex professo operam dans, ad ipsa opera militiæ, imparatior atq; ineptior, quam ulla potest esse fœmina, id quod sane nouo uestitus genere profitetur, caligarum, amplitudine sinus inflatißimi, laciniisq; diffluentibus, ad pedes usq; dependentiū, qua forma procul dubio Diabolus sese circumscribens infœlici Germaniæ ostentat, atq; iactitat, exultans de successu imperii sui, cui se adeo familiariter addicunt & dedunt Germani isti mulierosi milites. Hoc genus hominum, quoniam ocio torpet, & luxu diffluit, cumulate auxit contagia libidinum, dum eos imitati impii mercatores, & in ocio degeneres filii familias, solum egregium ducunt, quidquid militari exemplo uidetur fieri. Hinc concubinæ & pel-

 lices,

lices, peßimo exemplo ali cœperunt à multis, præsertim in urbibus, quæ habent emporia, & in agris apud eos, qui nobilitatem sibi uendicant. deriuatum est hoc uenenum spurcißimum Diaboli instinctu, in statum etiam seruilem, utriusq; sexus, fœdumq; dictu est, quanta sit petulantia, salacitasq; eorum hominum, qui in famulicijs uersantur. Frustra autem hic clamantibus, & in uiam reuocantibus Ecclesiæ Doctoribus, magnopere dolendum est; Magistratus alibi surdos alibi mutos esse, alibi consulto conniuere ad delicta, nimirum ubi & ipsi simili labe aspersi, aut etiam contaminati sunt. Neglecta igitur uoce piorum Doctorum, in tanta socordia atq; ignauia Principum, ex rebus etiam inanimatis producit Deus Concionatores Doctoresq; pœnitentiæ, portentis cœlo terraq; futuras calamitates humano generi denunciantibus. Vidimus ex aqua limpida ebullientem sanguinem, motu Siphonico, colore sandiceo, stupore prope ipsius Naturæ loci, de quo nulla potest concipi suspicio, uel decolorationis ex terrestri contagione ortæ, uel eiaculationis uiolenter ex imo uado in altum protrudentis bullas aquæ coloratæ. Quid de portento dicam, quod Nebræ accidit? parturientem mulierculam, ex eodem loco, ex quo partus expectabatur, eiaculatam esse flammas, & uelut ignitos globos cum boardæ sonitu, & fœdo sulphuris ac nitri odore, adurentes & brachia & ora tum obstetricis, tum cæterarum mulierculárum, quæ ut opem ferrent parturienti, adfuerunt. Quis simile quiddam unquam uel legendo uel audiendo cognouit? Prætereo in aere conspecta ostenta multorum generum, ut in hac uicinia, Acynacis Getici figuram, & alibi pugnantes Cataphrattos, alibi militem armatura insignem, sed absq; capite, reliquo corporis trunco, & motis brachiis insultanti similem. Horribiliora tamen sunt, quæ in alijs ditionibus, præstigijs tum demortuorum tum uiuentium, adhuc hominum, conspecta sunt simulacra, allato interim nuncio, eas imagines mendaces & falsas fuisse. Quid quod Luporum immani specie discurrentium, hominesq; arreptos uexantium imagines, uicinia ad Hieram fluuium, etiam grauißimorum hominum testimonio, nuper, & tantum non hoc quoq; momento conspicata est. Sunt hæc dira, & uere portenta, atq; nuncia horribilium & seditionum, & incursionum externarum, quorum utrunq;, si & consilia quæ agitantur domi, & conatum impetumq; Tyrannorum, qui foris impendet, considerabimus, in foribus planè, atq; supra caput esse nobis intelligemus. Ergo cum

go cum alias nunquam magis, quam hoc ipso tempore necessarium fuerit poenitentiae remedium, conatus sum quasi in scenam fabulae mundanae producere Ioelem, carmine loquentem, Doctorem poenitentiae grauissimum, pariq; ardore ac studio flagrantem, tum in exaggeranda ira diuina, tum in illustranda gratia ac misericordia. Nam & sensus scripti huius, ita cogitatione informatus est atq; absolutus, ita institutus est ordo, ut liquido appareat, Spiritum sanctum uoluisse hoc Oraculo Ioelis extare Epithomen totius doctrinae de uoluntate Dei, cupientis per unicum filium suum agnosci & celebrari, omnibusq; per hunc solum condonari peccata, & imputari iusticiam ac gratiam, qui hoc beneficium in filio Dei uera poenitentia agnoscant, & fide adprehensum firmiter teneant. Haec ipsa doctrina, Ioelis concione continetur, duobus capitibus comprehensa, poenitentia nimirum, & remissione peccatorum. Ideo filium Dei ornat proprio Epitheto, Doctorem Iusticiae cum nominans, & in renouatione hominis describit Spiritus sancti officia & opera, & ut semel omnia dicam, Catechesin proponit Christianae doctrinae, optimo ordine suauissime comprehensam, dum primum explicat doctrinam de poenitentia, Deinde ad Christum digitum intendens, eius regnum & beneficia describit, Mox Spiritus sancti dona commemorat, gentium quoq; uocationem praedicit, & consolatur Ecclesiam dulcibus & salutaribus sententiis. Quoniam uero hunc Catechismi & uerae poenitentiae Doctorem, praesidio potentis alicuius atq; magni patroni munitum, exire in uulgus decebat, tum quod nouum genus orationis sonaret, tum quod Christi beneficium celebraret apertius, quam tolerare Antichristi satellites possunt: Tuae Celsitudini, Illustriss. Princeps, cum dedicare uolui, ut quoniam tua uere Heroica & generosa indoles optimum Principem nobis spondet, tuo nomine protectum hunc uatem multi libentius perlegant. Iam pridem enim de te amplissimam spem omnibus bonis mentibus longe lateq; concitauit, & ingenii foelicitas, & amor pietatis ac uirtutis, & studium summum modestiae ac disciplinae. Proinde & merito tibi bene precatur Patria, tui maxime obseruans atq; amans, & tuis quoque moribus laetatur, cum & patris tui, & aui, praestantissimorum Principum exemplo, compertum habeat, eam rempublicam mirabiliter tegi atq; conseruari etiam in mediis periculis, quae a bonis atq; piis Principibus gubernatur. Ingens est consolatio, Deum conseruaturum esse eos, singulari prouidentia

& cura

& cura, qui fouent Ecclesiam, & benefaciunt cætui Deum uerè inuocanti, sicut testantur historiæ Adam, Nohæ, Abraham, Iacob, & similes. Ideo & te, Fratresq; tuos Illustrißimos, utcunq; cadant impiorum consilia, sub umbra alarum suarum, ut Psal. loquitur, imo sub umbraculo Ecclesiæ suæ, quod unus est Christus, teget, custodiet, fouebit, conseruabit, quoniam uobis cordi atq; curæ est, ut ita florentem doctrinam Euangelicæ ueritatis propagetis ad posteros, sicut eam accepistis à parente uestro: cuius hoc decus, hæc gloria propria est, quod in maximis periculis constitutus, incomparabili exemplo constantiæ, doctrinam fidei in filium Dei, purè ac integrè sua confeßione conseruatam, in gloriam Dei, exultanti Ecclesiæ electæ asseruit. Cum autem omnium nostrum sit officium, qui sub clientela uestra uiuimus, hoc ingens decus grato ac pio animo agnoscere, orandus est Deus, ut ad uestrum exemplum, ad uestras leges ac constitutiones, populos uestros amore iusticiæ, æquitatis, pietatis accendat, ut in omni conuersatione ciuilis uitæ, honestas & grauitas uiuendi cum profeßione Fidei Christianæ respondeat. Quod ut faxit Deus, ex animo uota facio, & syncere precor. Bene uale Princeps Deo & Musis iampridem dilectißime. Datæ Ienæ ex Salana. Die castorum Angelorum. Anno salutis M. D. LV.

ELEGIA DE EFFICA-
CIA FIDEI CHRISTIANAE.

IN dubio pugnans dum mens discrimine quærit
Sit ne ipsi curæ, sit ne relicta Deo.
Iamq; Deus lucem uerbi subducit,& aufert,
Iam reddit,uarias continuatq; uices,
Et de more patris timida cum prole iocantis
Cor tremere ambigua speq; metuq; facit,
Non alia est ratio, contra quæ uiribus armet,
Quam ualida supplex uox repetita fide.
Me licet occidas, tua sum, tua dicar oportet
Per gnatum soboles morte redempta tuum,
Verus in hoc uitam mihi præsidiumq; dedisti,
Promißi nequeunt fallere pacta tui,
Fons ut es immoti, uirtus ut uiuida ueri,
Sic oris nescit fallere lingua tui.
Omnia ut opponas, fidei te robore uincam,
Sæpius hac etiam uictus es ante Deus.
Hæc ubi non dubio depromi pectore sensit,
Incipit ad pugnam segnior esse Deus.
Et quasi iam uictus fidentis robore cedit,
Crede mihi, hæc uis est unica grata Deo.
Sic pugnante fauens cedit Cananitide Christus
Et firmam pleno prædicat ore fidem,
Dixerat huic, canis es, turpe est, nec more receptum,
Erepto pueris pascere pane canes,
Illa sed ardenti fidei certamine pugnans
Strinxit in aduersus reddita tela minas,
Ecce micas etiam trito de pane Catelli
Copia quas mensæ spargit herilis, edunt.
Sim canis, at liceat paßim fragmenta catellis
Debita, quærenti sumere Christe cani.

Huic

Huic Deus adplaudans, tua me fiducia uincit
Fiat, ut ex animo conscia credis, ait.
Sic quicunque malis, quicunque doloribus æger
Difficili certam tempore poscis opem,
Exue quod mentem uiciat, precibusq; profundis.
Non dubiam casto pectore iunge fidem.
Inde Deo quamuis duro, constanter adhære,
Fidentem nescit deseruisse Deus.
Ipse fidem firmat, nutu iuuat ipse uolentem,
Quòq; queat uinci, præcipit ipse modum.
Nonne uides paruo de semine surgere plantam
Quæ sæpe ingentes tollit adulta comas?
Sic crescit teneræ surgens fiducia menti,
Dum Deus adflatu cor fouet ipse suo.
Ergo Deum precibus superare asuesce, fideq;,
Non alia iratus uincitur arte Deus.

PSAL. LXXV.

Afflictis calicem diuina potentia præbet,
Qui tristi feruet semper amaritie,
At quibus à Christi patiens spes sanguine pendet
E summo latices purius orbe bibunt.
Exorbent ipsa tetros cum fece liquores,
Est quibus æternus nomen inane Deus.

ESAIAE I.

Vestra licet superent ipsum delicta ruborem
Purpura quem cocco tincta madente refert,
Imbre tamen dulci diuinæ sparsa salutis,
Sithonia fient candidiora niue.

CONCIO

CONCIO IOHELIS PROPHETAE DE PERSECVTIONIBVS POPVLI IVDAICI, ET VERA POENITENTIA.

Prædicit uastationem regni Iudaici per regem Babylonicum, & captiuitatem Babylonicam, hortatur ad pœnitentiam & fidem, Vaticinatur de aduentu & regno Meßiæ, de mißione Spiritus sancti, de uocatione Gentium, & consolatur Ecclesiam salutaribus sententiis.

HAEc patefacta Dei diuino oracula flatu, ἐπιγραφή.
Gratia uatidico sonat inspirata Ioeli,
Dum populo suadet peruersum linquere morem
Viuendi, & fontem neglectæ aperire salutis
Nititur, auersos terrens formidine pœnæ,
Inuitansq; iterum cœlestis amore parentis.
Namq; docens animos delicti agnoscere culpam *Propositio.*
Atq; odio sceleris uitam emendare nocentem,
Et ueniam sperare fide, tali incipit ore.
Audiat hæc, ætas curuæ uicina senectæ, *Attentio.*
Quam docuit canis prudentia plenior annis,
Audiat hanc, late quisquis colit incola terram,

Explorate animis, si tempore talia vestro,
Euenere unquam, si tale quid alta uetustas,
Et series proauorum, illisque profundior ætas
Commemorare potest. Vestris hæc pandite natis,
Et natis natorum, & qui nascentur ab illis.

ἐξήγημα Calamitatum.

Si quid adhuc agris, si quid pallentibus hortis
Germina depascens intactum eruca reliquit,
Id folijs hærens squalenti corpore Bruchus
Demetit absorbens: iam si quid & ille terendo
Præterijt, populum quod spe lactauit inani,
Id populatrices late absumpsere cicadæ
Exicium facto quæ frugibus agmine densæ
Ferre solent, totis & spem subuertere campis.
Denique quod pastis potuit superesse cicadis
Aeris id uicium sub sole ardente peremit,
Hinc erugo terens, illinc pede noxia campe.

ἀποστροφὴ πρὸς τοὺς ἀσώτους καὶ ἀναλγήτους qui causam calamitatibus præbent & pœnis.

Vos quibus est moris, nimio brutescere luxu,
Et posito certare mero, uiresque bibendo
Atterere, exciti damnosum rumpite somnum,
Et uestrum lugete scelus, persoluite pœnas.
Omnis enim extincto uastata est uinea fructu.
Irrita deficiunt frustratas pocula fauces.
Namque leonino grassator dente superbus
Pene carens numero, qui robore pollet & armis,
In mea præcipiti populus uineta furore
Irruit, atque ipsas abolet cum palmite uites.

Ille

Ille etiam insignes horti spectacula ficus
Stringit, & omne decus ramis pallentibus auffert.
Qui genus Isacidis numeras à sanguine Iudæ,
Plange uelut uirgo, quæ pullo tristis amictu
Ob casum sponsi lachrimis indulget acerbum.
Squalent luctisonæ sacris cessantibus aræ,
Nemo dapes libat, pateris aut dona meraci
Accumulat laticis, non thure altaria fumant,
Omnis honos templis postç est ereptus, & ipsi
Ex adytis Domini pietas sublata recessit,
Triste sacerdotes lugent & pectora plangunt.
Aret ager, squalent uastati iugera campi,
Interiere pari frumenta & pabula fato,
Triste rigent oleæ, uites lugubriter albent,
Absorbent gemitu mœsti sua fata coloni,
Et lugent steriles sine succo & uiribus agros.
Ipse per extremos dum longe respicit antes
Vinitor, infausti lachrimis spem funerat anni.
Obrriguere comæ citrijs, nec palma uirenti
Assurgit ramo, nec deniç pristinus ullis
Arboribus decor ullus inest, uerum omnibus una est
Mœstitiæ facies, luctus color omnibus idem.
Cur itaç? namç homines quidquid gaudere solebant,
Id subito in duros abijt ferale dolores.
O quicunç Deum sacram celebratis ad aram
Ite sacerdotes, deiectos cingite lumbos,

Prima pars pœnitentiæ, Contritio & dolor. Exaggerat autem magnitudinē Calamitatum, ut magis impellat ad dolorem.

Hypotyposis augendi doloris causa.

 Exercete

Per proſopopœian modum etiam & formam lugendi præſcribit ut nihil omittat quod ad incutiendum animis dolorem pertineat.

Exercete animo iuſtas plangente querelas.
Deſeruere ſacras pateræ cum lancibus aras,
Vera Dei ex adyto templi doctrina receſſit.
Sobria ieiunis indicite feſta diebus,
Sic tempus lugubre monet. Subducite uentri,
Vt menti ſit ſana quies, cum plebe uocati
Templa petant caſtiq; ſenes, patiensq; iuuentus,
Atq; humiles tali deplorent uoce dolorem.
Venit ſumma dies, & lamentabile tempus,
Qua Deus hanc ſtatuit pœnis adfligere gentem,
Quas meruit. ceu pernicies pernicibus alis
Irruit atra dies Domini, quem cuncta verentur.
Illa etiam ex oculis alimenta erepta uidentis
Aufferet, et diro conſumet corpora tabo.
Aufferet illa etiam quidquid præſente ſalutis
Lætitiæq; Deo tulimus, dum pace beati
Tranquilla tegimur templi florentis in umbra.
Reſpicite ærumnas, pridem tellure ſub ipſa
Aruit omne ſolum, uacuis ſtant horrea tectis,
Spes omnis quoniam decepti euanuit agri.
Ipſa etiam ingentem mugitu armenta dolorem
Edere, & ad cœlum ceu triſte gementia cernas,
Exicium penè ore loqui, fatumq; uereri.
Ore boues tetro, quia feſſis pabula deſunt,
Eſuriem oſtendunt, & oues lugubre ſonantes
Aeris e uicio contagia morbida ducunt,

Te ta-

Te tamen o precibus, te ſupplice uoce precamur
Summe pater, moderare iram, moderare dolorem.
Ecce etenim infeſtus ſpecioſis uallibus ignis
Gramen, et arboreos urens fuligine ramos,
Abſumpſit rapida campi decus omne fauilla.
Triſtia ſtant circum teꝗ ipſa animalia clamant
Et ueniam implorant, quoniam uel flumina ſiccans
Cœlitus infeſtus ſpecioſis uallibus ignis
Abſumpſit rapida campi decus omne fauilla.

Triſte πάθος á ſenſu pecudum quadam συμπάθεια hominibus condolentium.

Alia exaggeratio, quam uehementiorem reddit á circumſtantiis.

Argutis da ſigna tubis, lugubris Idume,
Vox eat e media quæ nunciet arce Sionis
Triſte malum, paueant omnes formidine ciues.
Namꝗ dies Domini ſupra caput omnibus inſtat,
Atra dies, horrenda dies, & plena pauoris.
Orta uelut largum ſpargens aurora ruborem,
Occupat effuſo longinquos lumine montes,
Cum fugat humentes æſtiuis noctibus umbras:
Sic ingens populus, ſumptis inuictus in armis
Ante fores uaſtator adeſt, cui nulla uidebit,
Nulla parem uidit ſpacioſi temporis ætas.
Præuius huic ignis populator, pone fauillæ,
Et cineres ſubeunt mortiſꝗ rapacis imago.
Qua uenit, arridet ſimilis uernantibus hortis
Terra ferax, deſerta iacent, quacunꝗ receſſit.
Nec datur hunc ulli fugere, aut uitare nocentem.
Aſpice quam facies ſæuorum immanis equorum

Quam truculenti equites, quantoq; fragore feruntur?
Per iuga ferratis ut quondam agitata cathenis
Plaustra sonant late, quae forte viator ut audit,
Linquitur aut animo, fugiens aut ima iacentis
Antra petit uallis: flammae uelut igne furentes
In stipulas abeunt, fumo et crepitante coruscant.
Sic fertur quacunq; uenit, saeuissimus hostis,
Cum strepitu sonituq; ruens, fortissimus armis
Omnibus instructus, quae dira ad praelia spectant.
Inq; ipso properans meditatur praelia cursu.
Quale solet terris irato numine fulmen
Incutere horrorem, cum nubis siccus aquosae
Halitus accendit fumos, atq; alite uento
Laxior, undoso perrumpit nubila tractu.
It sonitu fragor, et celsas a uertice turres
Concutit, aut rupem luctanti a monte reuellit.
Non uis hunc etiam cunctantior incitat hostem.

Nebucadneza rem intelligit.

Illius ad nomen populis per sicca uagatur
Ossa pauor, trepidant humiles, animiq; rigore
Attoniti pallent. ut quondam testa tenacis
Argillae, tepida quam fumus contigit aura.
Ipsos iam uideas magnis conatibus hostes
More Gigantaeo in summos contendere muros
Intrepido uultu: pro se rem quisq; gerendo
Magnanimus, metuensq; nihil, iusto ordine pugnae
Irruet, & forti miscebit praelia dextra.

Non

Non alijs alij obstabunt, labor omnibus idem
Et uirtus eadem belli, & commune periclum.
Per medios gladios immunes uulneris ibunt.
Hostibus haud tergo, sed forti pectore noti.
Vrbis inoptatam pars cum uictore ruinam
Ex altis lustrabit equis, pars mœnia lusu
Insiliet, ruptis aut furum more fenestris
Illapsa, e spolijs prædam cumulabit opimis.
Eloquar hoc etiam? tantus furor incitat hostem,
Vt metus in populo putet ipso pondere terram
Contremere, & moto luxari cardine cœlum,
Orbari solem radijs, & lumine lunam,
Offundiq; astris nebulas. Nam qui omnia cernit
Cœlorum dominus, grassantis conscia fati
Fulmina præmittet, quacunq; exercitus ibit
Iste Dei nutu tantis sæuissimus ausis,
Iussus obire Dei mandata, & pellere noxam.

[illegible] Excidii Nam urbs direpta est, templum concrematum, ciuitas capta, rex excæcatus, & cũ populo captiuus inseruitutẽ abductus. 4. Reg. ultim.

Vsq; adeo est horrenda dies, & plena tremoris,
Qua Deus inuadit sontes, Quis perferat illum?
At bonus & mitis cœlo dominator ab alto
Ad ueniam inuitans miseros, sic excitat ultro.
O quicunq; male pœnam accelerastis agendo,
Polluti scelere, & peruersæ crimine uitæ,
Exuite ingenium, prauos desuescite mores,
Inq; uiam reuocate gradus, & pectore toto
Auersi a uicijs, culpæq; doloribus ægri

Altera pars pœnitentiæ, ardens inuocatio & firma fiducia.

Et ue-

Et ueris lachrimis, ad me conuertite mentes.
Sic agite, et melius rebus ſperate malignis.
Conſcia mordaci conſcindite corda dolore,
Ne ueſtes lacerate, quid hoc de more ſoletis
Nil ſolitum prodeſſe? Deum ſed quærite ueſtrum
Conuerſi, quoniam is mitis, largusq; fauoris,
Ad ueniam pronus, iuſtam quoq; tardus ad iram.
Qui quoties hominum plagas delicta merentur
Ipſe dolet pœnis, iuſta quas irrogat ira.
Quis ſcit an irato melior ſententia mentem
Vertet, ut effuſi monumenta relinquat amoris,
Præteriens, ſanctis quo cultus purior aris
Et uacuis apti templis reddantur honores,
Quos uelit ipſe libens, patrioq; agnoſcat amore?
Ergo tubæ ſonitu, mœſtam luſtrate Sionem
Atq; omnem noto compellite carmine plebem,
Ieiunos ſacrate dies, in templa frequentes
Conueniant, doctiq; ſenes, dociliſq; Iuuentus,
Et matrum reuerenda cohors. genibusq; uoluti
Ante Deum, dedant diuinis obuia rebus
Pectora, et accepti præſtent pia munia cultus,
Intenti precibus. nec te noue ſponſe moretur
Lætitiæ ſpes cepta tuæ, nec gloria ſponſam,
Qua fruitur, retrahat, nec cura domeſtica quenq;
Separet a cœtu. tum fida ſilentia ſacris
Præſtanti populo, patrio de more ſacerdos

Sicut ante luctus & doloris, ita nūc formā inuocationis & fiduciæ præſcribit, tāquā certū modum amoliendi impendentes pœnas.

Mente

Mente preces casta recitet, geminetq; monendo.

Omnipotens æterne Deus, qui illustribus olim
Indicijs, uiui patefactus imagine verbi,
Te patrem miseris docuisti uelle uocari,
Vnde etiam humanos diuinum semen in artus
Mente tua genitum confidimus adfore, vt omnem
Aufferat a nobis culpæ cum crimine labem.
Parce tuo populo, nec quos dignatus es ipse
Hæredes dixisse tuos, permitte pudendis
Affligi exemplis, aut turpi occumbere casu.
Degeneres miserate Pater culpamq; dolentes,
Et cupidos ranouari, & missum Heroa uereri,
Amissam nobis qui restaurare salutem
Iam uenit, & uindex placide sese omnibus offert.
Cur patiare Deus, gentes, quas nominis hostes
Esse tui nosti, iactare hæc sputa loquendi?
Ecce ubi nunc Deus est, simulatum numen eorum?

Sic ubi uos humiles gemitu delicta fateri
Senserit omnipotens, ac toto pectore uitæ
Emendare nephas: & amore accensus & ira
Insurget, curamq; suæ geret impiger arcis,
Quam posuit, populos nec dura mente relinquet,
Quos odisse nequit: Sed parcens more parentis,
Subducet pœnam, & sortem frenabit acerbam.
Fata etiam retro, maturum urgentia casum,
Insistens aget, atq; ultro solabitur ægros,

Forma ardentis inuocationis.

C Hæc

Hæc ita reſpondens, ſaluis confidite rebus
Gens mea, iam uultu accipio pia uota ſereno.
Seu uobis cordi eſt numeroſæ copia meſſis,
Seu lauti uis ſana meri, ſeu pinguis oliui
Succus, larga meo nutu feret omnia tellus
Et triticum, & latices dulces, oleicꝫ liquores,
Spes ueſtras explebo libens, tectoscꝫ tuebor,
Barbara ne turpi poſthac gens probra pudore
Obijciat miſeris, quæ ueri eſt numinis expers.
Quin etiam Arctoa furias ex arce minantem
Excutiam procul, ut nudis illiſus arenis
Damnatocꝫ ſolo, ne quidquam limina ſpectet
Auroræ, infœlix, & ad ultima ſepta uagetur
Oceani. Illi ater conſumet uiſcera morbus,
Sordeat obſcœno miſerum ut fœtore cadauer,
Exceſſit quoniam metas ingentibus auſis.
Pone metum, & duri fomenta repelle doloris
Gens dilecta mihi, ne te macerato querelis,
Ne deſponde animum, ſed ſpe tua damna ſerena.
Et Deus eſt audax, & magno ingentia motu
Facta patrare poteſt. Quin uos quibus arida campi
Gleba famem ſoluit, conceptum armenta dolorem
Ponite. nam ſi qua eſt deſertis inuia ſulcis
Area, nobilibus flaueſcet rurſus ariſtis.
Dulciacꝫ herboſæ diffundent gramina ualles.
Quæcꝫ ſua paſſim diffuſa ſub arbore poma

Specta-

Spectabunt rura, & pingues in uitibus uuas,
In ficu caricas, læto feret ubere tellus.
Iam lætare sacræ soboles electa Sionis,
In domino gaudete Deo, qui mœnia ciues
Arcanæ incolitis Solimæ. Quod namque salutis
Fundamentum vnum, monitis per templa sonantem
Iusticiam auditis: quod læto humore cadentes
Siue aurora suum renouet, siue hesperus ortum,
Excipitis pluuias, & gratæ commoda uitæ:
Ille dat, ille dabit, largo, velut ante, fauore.
Implebit mentes doctrina, & frugibus annum.
Iamque aderit præsens, pleno quem numine mittam
Iustitiam insigni doctor pietate professus
Mentibus humanis ignotam, namque docebit
Se sobolem æterni cælo venisse parentis,
Vt veluti largus qui campos irrigat imber,
Eluat ex animis tetræ contagia culpæ.
Is renouata nouis accendens pectora flammis
Quæ recte agnoscant ueniam, causamque salutis,
Constituet regnum in terris, & colliget agmen
Colluuie ex omni, quod celsis inferat astris,
Omnipotens seruator. Erit tunc integer ordo.
Atque habilis animis ueniet uigor, & decus ingens
Accedet miseris, vitæ cœlestis origo.
Aurea tunc vero decurrent secula plausu,
Nec deerit penori victus, nec copia rebus,

Vaticinium de aduentu & regno Christi.

C ij   Aeternis

Aeternis coniuncta bonis, uitæq; ministra.
Vt pluuia ante diem sulcandos præparat agros,
Serior, inuersæ maturat semina terræ,
Obuia sic miseris ueræ doctrina salutis
Sponte sua obueniet, quam casto pectora motu
Accipient, largoq; ferent hinc gaudia fructu.
Tunc iterum optatæ distendent horrea messes,
Amplior & positis fundet uindemia labris
Pocula, & in mensas large nascentur oliuæ.
Ipse autem duris subiectum legibus æuum
Antiquum exonerans, ingenti mole leuabo,
Et donis saturabo nouis, & amore tuebor.
Ipse annos etiam, meruit quos decolor ætas
Quos uariæ pestes, insecta, & reptile campi
Exicium, mea tela, meæq; exercitus iræ,
Erosere, putri grassantis labe ueneni,
Vberius reddam, & cœlo meliore rependam,
Ne quid defuerit, quod laxa annona requirat,
Quo læti, & memores, uestri celebretis honore
Nomina magna Dei, qui uestri talia causa
Facta stupenda facit. Sic quos semel ipse recepi
Non patiar turpi posthac lugere pudore.
Hoc etiam experti longo memorabitis æuo
Me medium inter uos, manifesta luce uidendum
Consueuisse hominum cætus lustrare uagantes,
Os habitumq; gerentem hominis, Studioq; docendi
Quære-

Quærere dignatum alternas & reddere uoces,
Præsentem facie, & meritis: me denicꝫ solum
Esse Deum uestrum, nec rerum in mole moueri
Vllum aliud numen, quod uota audire piorum
Possit, opem præstans. Sic quos semel ipse recepi
Non patiar turpi posthac lugere pudore.
Hinc ubi præstiterit cari mandata parentis
Iustitiæ sator, humanos dignatus in artus
Demigrare Deus: manifesto munere notus
Ipse mei effundam uiuentem numinis auram
In genus omne hominum, qui me propiore, uocantem
Agnouere animo. Ceu dulci humore solutus
Neglectos fœcundat agros largissimus imber,
Sic meus effusis cumulabit pectora donis
Spiritus, instaurans lucemcꝫ decuscꝫ nouando.
Namcꝫ ea uis illi est mecum, atcꝫ æterna potestas,
Eruit ex animo lentum torpente veternum,
Quo ruit in uetitum morbi secura uoluntas.
Corda leuat uicijs, quæ cæco innata tumultu
Permiscent motus, stimuliscꝫ calentibus urit,
Accenditcꝫ fidem flamma uberiore micantem.
Tum comes assistit cepto, & defensor amori,
Confirmatcꝫ habitum, solatur & erigit ægros,
Conseruat fortes, uirescꝫ audentibus addit,
Nec sinit insidijs, aut turpi occumbere casu.
Hinc uigor immotis animis, infractacꝫ corda

De missione Spiritus Sancti uaticinium expletum in Pentecoste, quod exponit S. Petrus Acto. 2.

Mille per ærumnas, ſpem circumferre ſalutis
Victriceſq; polo palmas inferre ferendo
Aſueuere, decus poſitæ ſublime coronæ
Et lætum æternæ donum referentia uitæ.
Ergo animis hauſtus paucis, & cognitus oris
Iuda tuis tantum, dum tempora priſca ferebant.
Liberior longis flatus mirabilis alis
Qua populi totum linguis habituq; per orbem
Mille modis uariant, longinquis uiribus ibit,
Electis ſeſe inſinuans, & mille figuris
Expediens dotes, & late munera ſpargens,
Sic fax parua ſuæ ſub corpore ſimplice formæ,
Exiguo rutilat motu, mox acta rotatu
Emittens iubar ad metas extendit opacas,
Longius it lumen ſpacioſam illuſtre per umbram,
Agnoſcunt omnes manifeſto in lumine lucem.
Hoc duce ueſtra nouis edet miracula ſignis
Poſteritas, ueſtra ſoboles ab origine, puro
Ingenio excutiens ſanctorum oracula vatum,
Fœmina maſq; ſimul, ſenioq; aſueta Iuuentus
Fata canent orbi uenturæ præſcia vitæ.
Somniaq; exponent, hominum non arte magiſtra
Euoluenda, animis uerum obrepentia caſtis
Inſtinctu angelico, & veri ſpectantia finem.
Quin etiam ſimulachra modis ludentia miris
Viſa oculis, poterunt ſancte enarrare docendo,

Omni-

Omnibus vt monſtrent tanti veſtigia Regis
Qui recipit miſeros, & cœli donat honore.
Deniq; me ſolum ueriti quicunq; uocabunt
Agnoſcentq; Deum, ſimul hoc ſpirabile donum
Affundam cupidis. aliquo ſeu iure fruantur
In genere hoc hominum, ſeu ſorte premantur acerba,
Mancipia, officij nullum diſcrimen habebo.
Prodigijs etiam cœlo terræq; timendis
Signa dabo, flammas iaciens, atrumq; cruorem,
Pulla teget facies nigrum ferrugine Solem, Signa ante
Oreq; ſanguineo ſqualebit Luna, priusquam mißionem Spi
Magna dies domini metuendo illuxerit ortu. ritus Sancti,ut
Atq; ita ſtat fixum, quiſquis miſerantis adorans S. Petrus expo
Iuſtificum nomen Domini, fidente uocabit nit.
Pectore nil metuet, Sed caſu ereptus ab omni
Ante Deum æterna ſeruatus luce fruetur.
Nameq; illic miſeras ſtatio gratiſſima mentes
Excipiet portu, & tuto ſeruabit aſilo
Inclita qua ſpectans rupes tegit alta Sionis
Mœnia. Quin illos pax hæc optata manebit
Quoſcunq; externis Deus e regionibus ultro
Accierit, patria bonus & pietate uocarit.
Iſta fluens etenim quando aurea ceperit ætas, Vocatio genti
Iuerit & largo manans de fonte ſalutis um per inuita
Gratia, quæ ueniam conuerſis mentibus adfert, tionem et com
Vincula cum Solimæ, cum dempſero uincula Iudæ, minationem.

Capti-

Captiuas laqueis animas, & crimine soluens,
Quicquid erit populi spaciosi longa per orbis
Climata, quod dura spretam ceruice salutem
Respuerit, fictis faciens uota impia diuis,
Vndiq; collecto compellens agmine cogam
In numerum, atq; manu consertum iure uocabo,
Conuincamq; reos, ueniamq; dolentibus ultro
Proponam, miseris si non mens læua nocebit.
Tunc populum Iudæ captiuum & vincla gerentem.
Expediens tristi seruili e carcere Legis
Alloquio dulci reuocabo in luminis auras,
Pascit ubi Ambrosia mentes diuina beatas
Gratia, & electas cœlesti luce serenat.
Est locus augustæ quo cæco in carcere mentes
Bella gerunt secum, delicti mole grauatæ,
Cum scelerum seriem motu meliore dolentes
Agnoscunt gemitu culpam, lateq; sonantes
Horrescunt pœnas, & spe solante timores
Implorant ueniam: ueluti, si ambagibus imis
Secessu in longo, qua Iosaphatæia vallis
Arcuat ingressus, horrentiq; imminet vmbra,
Compressi populi stipentur, et vndiq; densi
Ignariq; uiæ, ne quidquam exire laborent.
Huc ego compulsis, quas proprius abstulit error,
Gentibus, examen statuam, ponamq; tribunal,
Iusticiamq; meam, mea iura, manumq; potentem
Ostendam

Vallis Iosaphat

Vallis Iosaphat, id est, dolor & pauor conscientiæ in agnitione peccati. Item Iudicium Spiritus S. arguentis conscientias.

Oſtendam trepidis, & litem ſponte mouebo.
Publica iudicij late ſubſellia ponam,
Iuſticiam exercens, non qua uindicta nocentes
Adficit, errorem ſed qua ſolatia faſſis
Gratia ſuppeditat, culpam miſerata dolentes.
Attonitæ ſtabunt gentes. formidine terror
Opprimet erroris memores, & corda pauore
Anxia cura coquet tranſactæ conſcia uitæ.
Tum ueniens cenſor, diuino numine flatus
Omnipotens, celeriq; uolans in pectora curſu
Agnitione mali, trepidantia corda ciebit,
Arguet & culpam, & mentes reuocabit inertes,
Et cupidas ueniæ. Quos ad meliora uolentes
Vertet amor Recti, ueniam pro crimine vitæ
Gratuito accepti referent, cœloq; fruentur,
At quibus indomitis furor alto indumit uſu
Hos pœna adfliget, conſulti criminis vltor.
Hæc peragens ſimul admiſſo de crimine uindex
Vlciſcar terramq; meam, gentemq; togatam,
Quam mihi delegi, dilectam ex omnibus vnam.
Hæredem cœli, quam turpibus obruit armis,
Diſperſitq; vagam, iactata & ſorte retentam
Diſtribuit, captamq; iugum tolerare coegit,
Obſcœnus populus uariorum labe Deorum.
Illum etiam haud puduit floremq; decusq; Iuuentæ
Innocuos pueros, illibatasq; puellas

D Permuſ-

Permutare mero, & uili diuendere mensa.

Ἀποστροφὴ ad gentes Idolatras & impia imperia, quibus minatur pœnas.

Dicite cæca Tyrus, & luxu perdita Sidon,
Atque alienigenis tellus habitata philistis,
Et quæcunque alio similes sub sidere gentes
Viuendi uicium cœlesti opponitis iræ,
Deploratæ animæ, quæ uobis caussa potentem
Irritare Deum? mihi quæ uesania uestros
Reddidit infensos mores? me siccine tetro
Insultu petitis? uindictam & quæritis ægri?
Siccine res miseris præclara et pulchra uidetur
Insultare Deo? turpesque idola per aras
Suspicere, & uerum studio contemnere Numen,
Et longam immensi telam exercere furoris?
Insultate tamen cursumque urgete nephandum
Quos iuuat iste furor. Tamen illucescet acerbo
Illa dies miseris nil formidantibus ortu,
Qua simul impietas & deplorata libido
Compensata suo persoluent tempore pœnas.
Tunc mala retribuens uestro seruata furori
In caput infligam uobis, quascunque merentur
Impia consilia assiduo cum uulnere pœnas.
Quid mihi uobiscum rigidi regna impia mundi,
Sentinæ scelerum, quæ longa examina culpæ
Ducitis infandæ, dum passim mille figuris
Ficticios miscere Deos, & uera docentes
E medio audetis mactando tollere uates?

Pecto-

Pectoris unde alto mens oblimata veterno
Nec nouisse Deum, nec rectum agnoscere curat,
Sed uicijs polluta suis, qua traxerit error
Defluit, ut prona fluuij cadit alueus vnda:
Insanæ gentes, & uix miserabile uulgus.
Vos mea nudastis proprijs altaria donis,
Argentum atque aurum, sanctique insignia templi
Impia raptastis fictorum in fana Deorum:
Vos sobolem Iudæ, Solymisque e mœnibus ipsos
Non estis ueriti captiuos ducere ciues,
Et procul exilio patrijs a finibus actos
Exiguo precio leuibus uenundare Graijs.
Ecce procul positos alio sub sidere, rursus
Exilio functos meliori sorte reducam
In patriam, faciamque uolens, ut uestra uicissim
Pignora dilectos natos, tenerasque puellas
Abductas precio uendat Solimeia pubes,
Et procul elidens peregrinum mittat in orbem,
Qua postremus Arabs, cultor fœlicis arenæ,
Inter Erithræos fluctus, & persica stagna
Respicit umbrarum uacuam sub Sole Syenen,
Et procul æstiuas geminantem prospicit horas
Taprobanen, nunquam cui lucida cernitur Arctos.
Hæc ait omnipotens, fatisque hærentia fixit,
Parcere qui trepidis solet & frenare superbos.
Audiat hæc, si quem extremis de gentibus ambit

Hæc tẽporalis pœna expleta est, Cyro restituente Iudæos in patriam.

Amplificatio comminationis & inuitationis per communicationem

Orbiuagi sinus oceani, quem sideris expers
Terra tenet, nimbos ubi parturit humidus Auster,
Quem sicci excubiæ cœli, maiorq; minorq;
Vrsa tegit, radio quem fuscat vesper anhelo.
Ite feræ gentes, quoniam insanire uoluptas
Est miseris, sæuum de more indicite bellum,
Marte ciete viros, & bellipotentia corda,
Ite uiri fortes, accedite prælia docti,
In gladios uerso cum uomere cedat aratrum,
Et rigidæ falces longas conflentur in hastas,
Prætexat vires infirmior, omnia pugnent.
Ipse ego vos forti mansuetus milite victor
Sub iuga pacis agam, densa cum valle coactos
Iudicio explorans, viuaci examine Iudex
Expediam vinclis animorum, & luce beabo.
Ibit ouans animis læti plebs conscia doni,
Iusticiæq; nouæ. pulchro gaudebit honore,
At mœsti incedent peruersa mente rebelles
Et lucem exosi, votis sua funera poscent.

Apostrophe ad ministros uerbi, ut cõstãter obeant munus suum & extremis temporibus lucrifaciant cœlo, conuersas gentes.

Pergite messores, promptas immittite falces,
Inuictis audete animis, nec cedite damnis,
Messis adest etenim maturis diues aristis,
Et uinosa madet plenis vindemia labris.
Iam manus extendenda, frequendandiq; labores,
Dum tempus ratioq; sinit, spesq; obuia votis.
Nam ueluti læto quocies exuberat anno

Ditior

Ditior autumnus, prælis uinaceus humor
Multus abit ſtagnante lacu, cum ſe quoq; maior
Larga procul fuſo ſpumat vindemia muſto,
Sic ſcelus humanum exuperans finemq; modumq;
Aeſtuat, & propria cumulatum mole laborat
Ipſa dolens uicij medicinam copia poſcit.
Digna lues letho ſecum miſerabile uoluit
Prodigium ſcelerum, tantæ ſuccurrite culpæ,
Saluifici vates verbi, vigilesq; miniſtri,
Ingentes armate animos, pugnate docentes,
Errantes reuocate animas, & reddite cœlo.
Hinc atq; inde uago denſatis agmine turbis
Conuenient populi, & uarijs concurſibus acti
Implebunt uallem, verbi clangore ſonantem,
Hic ubi deciſam dirimet uox ultima cauſſam
Conuerſis ueniam ſpondens, pugnacibus iram.
Hic ſonitus verbi, metam durabit ad ipſam
Decrepiti mundi, & conceſſi gentibus æui.
Signa etiam oſtendet cœli lugubris imago,
Contectum ſubito tetra caligine Solem,
Atq; intercepto fuſcatam lumine Lunam,
Vt moueant crudos animos, culpæq; dolentes
Ad ueniam inuitent, poſito iam more furendi.
Emittet ſonitum dilecta ex arce Sionis
Ipſe loquens Deus, ipſe uocans errantia corda.
E Solymis ueniet Domini uox miſſa potentis

Doctrina de pœnitentia ſonabit usq; ad finem mundi.

Quæ fremitu legis, quæ dulci carmine verbi
Omne adeo cœlum cieat. Desuescite mores,
Et labes animorum, & tundite pectora ueris
Erratorum odijs, vitæ melioris amore
Exuite ingenium, a tergo aut tristibus ultrix
Mors aderit, repetens diras pro crimine pœnas,
Exicio æterno. Quin culpæ horrore dolentis
Erigite, atque animos dulci componite verbo,
Integra quod tritis solatia mentibus offert,
Ante Deum æternæ dona allatura salutis.
Hæc Deus, haud aliquem abijciens delicta dolentem,
Excipiet miseros, & tectos sponte fouebit,
Præsidioque teget, portusque atque aura piorum,
Qui peccasse dolent, promissæ & fidere gaudent
Iusticiæ, miseris quæ sponte offertur in illo
Qui patris est & imago sui, & sapientia summa.
Ergo etiam hæc pater. hoc ipso discetis ab usu
Esse mihi sedem sacrosanctæ in monte Sionis,
Monte meo, dulci qui uos amplectitur umbra,
Dux ego uester ero, atque adero quæcunque cadet sors,
Non ego destituam te dilectissime cœtus,
In quo nota mei uox, & reuerentia verbi,
Me nouit, celebratque Deum, mihi militat vni.
Integra tunc Solymis accedet gloria templis,
Et cœlo cognatus honor, iam læta triumpho,
Sancta fide, afflatu diuini sancta fauoris,

ummma doctri
ne Euangelij.

Ecclesia Sancta
& Catholica.

Electos

Electos animis iunget communio ciues,
Praestabitque Deo uerum cultumque timoremque,
Edocta in terris consortia uiuere coeli.
Tunc tibi non aliquis sese ingeret aduena, cultu
Discolor externo, aut ficto sermone disertus,
Cessabit uarios mentiri lingua colores,
Non locus ullus erit sceleri, non gratia noxae,
Non fraudem delusa dolo doctrina sonabit,
Vna eademque pijs uox mentibus, una uoluntas,
Omnibus una fides erit, atque amor omnibus idem.
Haec ubi sic Horis ueniet foelicibus aetas,
Stillabunt dulces altis de montibus uuae
Nectareos latices, atque ambrosios thesauros,
Lacte fluent colles, atque omnes undique riui
Per campos Iudaea tuos, pregnantia dulci
Flumine, miratis implebunt littora terris.
Ecque domo Domini laeta scaturigine uiuus
Fons saliet, dulci loca late arentia riuo
Humectans, unde aegra sitim restinguere, & omnem
Pectora fisa Deo, poterunt abstergere labem,
Quacunque extremas sitiens gens accolit oras.
At rudis Aegyptus, semperque rebellis Idume,
Et quicunque Deum soliti irritare nocendo,
Adflixere pios, hi pro leuitate uicissim
Persoluent poenas, quoniam Israhelitida gentem
Sanguine foedarunt, nil unquam tale merentem,

Amplificatio fructus Euangelii.

Baptismum.

Poena persecutorum.

Damna

Damna ſua abiecti loca peruaſtata dolebunt
Diſperſi exilio, naturæq; ultima paſſi
Triſtibus ærumnis, ſeriſq; doloribus ægri.
Tunc Synagoga furens, nimium confiſa ſciendo,
Cauſſa pijs luctus, & fuſi ſanguinis author,
Impia turbatrix verbi cœleſte ſonantis
Præſidium miſeris, meritis direpta ruinis
Corruet excidio, petulante quod auſa furore
Immeriti fædo maculauit ſanguine Iudæ
Progeniem inſontem. Tua ſed pie Iuda manebit
Poſteritas, inuicta malis, tua ſalua manebit
Gloria, Sancta Salim, nullo delebilis æuo,
Donec ſumma dies, atq; ultima linea rerum
Atteret extincto pereuntem tempore mundum,
Et noua iam magnis procedere menſibus ætas
Incipiet, veræ texens primordia vitæ,
Ante Deum æterno ſemper pulcherrima curſu.
Temporis interea illorum me uindice ſanguis
Non impune cadet, quorum mihi perſtitit vni
Fixa fides, quamuis ſors aſpera uentilet ægros,
Excipiantq; uiæ plenis uel mille periclis,
Ipſe adero medio tamen in diſcrimine preſſis,
E tenebris lucebo Deus, e turbine uincam,
Et cœtum ſeruabo meum, dextraq; tuebor.
Hoc caput eſt, memores huic dicto aduertite mentes,
Ipſe Sionæa ſedem ſibi legit in arce,

Pœna Synagogæ.
[Mis]fraym
[E]dom.

Rex

Rex Deus omnipotens Rerum dominator & autor,
Hanc colit, hanc habitat, nusquam auersatus, & omni
Parte fouet præsens, omniqꝫ tuebitur æuo.

Epiphonema de conseruatione Ecclesiæ.

FINIS.

IOANNIS STIGELII PRAECATIONVM LIBER PRIMVS.

PRECES CHRISTIANAE ORATIONIS DOMINICAE.

QVam Deus orandi seriem, quos approbet usus,
Hinc tecum incipiam puerili exponere uersu,
Chare mihi arcana cœli ratione, Philippe,
Cui pater, afflictæ Camerarius Hellados ingens
Gloria & assertor, Graiæ dum munera linguæ
Ingenti studio Germanis seruat in oris.

E Ergo

Ergo age siue diem Musis Aurora reducit,
Siue quies rerum tenebris humentibus orbem
Nox tegit, & placidos affectant membra sopores,
Seu loca sacra petis, patrias siue inter oliuas
Diuino accedis cumulatas munere mensas,
Has animo præsente preces, hæc debita uota
Redde Deo, explicitis orans ad sydera palmis.

Has tibi corde preces Deus optime max. fundo,
Tempore in extremo, dubio in discrimine mundi,
Impia dum Geticum sumens in fœdera cornu
Bestia, sic ueteris stimulante furore Draconis
Exitium mundo molitur, & omnia turbat.
Hei quam parua manus, numerus q; paruus eorum est,
Ex animo cupiunt qui fratrem agnoscere Christum,
Teq; patris coluisse loco. Sed respice partem
Hanc quamcunq; tuam, tua qui sacra uerba professi
Esse tui cupimus, nisi mens uiciosa repugnet.
Illa quidem antiquam iam pridem ab origine labem
Pressa trahens, oculis quædam uestigia cernit
Mandati ueneranda tui, Sed uiribus impar
Necquicq; propria uirtute placere laborat.
At tu summe Deus, fons rerum & dulcis origo,
Mens æterna, potens, sapiens, sola omnia præstans,
Omnibus in rebus cuius uestigia monstrat
Autoris natura memor, qui solus & unus
Omnia perpetua dominus ratione gubernas,

Quæ

Quæ cœlum quæ terra tenet, qui conſcia fati
Conſentire iubes terrenis ſydera rebus,
Ne caſu ſoluatur opus. Qui tempora certis
Diſtinguis uicibus, facis omnia, & omnia ſeruas.
Tu nos degeneres uultu miſeratus amico
A nobis audire pater dignaris, & orbi
Sponte tuum mittis fraterna in fœdera natum
Abluat ut ſordes noſtras, & crimina tollat,
Et reddat merita dulcem pro morte ſalutem.
Da pater ut poſſim te uero agnoſcere cultu
Et nomen celebrare tuum, ueroq; timore
Te patrem ſentire Deum. Da gloria ſicut
Sancta tua eſt per ſe, ſic uero ſemper honore
Luceat in nobis, tua qui nos membra fatemur.
Ne leuis ambitio, ne uani gloria mundi
Tranſuerſos rapiat, rebus ſed in omnibus uni
Semper honos nomenq; tibi laudeſq; ferantur.
Impia corrupti cedant ueſtigia cultus,
Stultaq; fictilibus fidens reuerentia diuis,
Et pietas omnis fucatæ conſcia curæ.
Me nutu dignare tuo, ne forte recuſem
Imperio parere tuo, tua iura uereri.
PErge tuum late populis extendere regnum,
In quo non ſtrepitus pompoſæ ſplendidus aulæ,
Non aurum, non arma ſonant, non quidquid inerti
Blanditur mundo, fucoq; arridet inani.

Sed colit unanimis regem concordia Christum,
Propagatq; pios simplex Ecclesia cultus
Angelicis adiuta choris. Da nescia frangi
Pectora, da uires animis tua dona professis.
Et flammis accende tuis, ut fortiter ausi
Vera repugnanti inculcent tua dogmata mundo.
Insidias prohibe sathanæ, compesce tyrannos,
Atq; suum turbam turpi quæ squalida luto
In gemmas ruit ecce tuas. dele omnia uitæ
Exempla impuræ, sacra cordibus instrue templa
Quæ resonent Christi noctesq; diesq; triumphos,
Expectentq; simul rediturum, atq; omnia mundi
Censurum scelera, & meritis noua regna daturum.
ET quoniam affectus nobis natura reliquit
Principio corrupta malos, nec nostra uoluntas
Per se grata tibi est, semper contraria cœlo
Et uerbo aduersata tuo: tua sancta uoluntas
Nos regat, & facto primum spectetur in omni.
Fac nihil incipiam, nisi quod confidere possim
Ante tibi placitum, dignumq; fauore uideri,
Sint tibi sacra Deus cunctarum exordia rerum
Euentusq; simul, qui primum exordia rebus
Principio ipse carens fecisti, atq; omnibus idem
Das finem, qui fine cares. Da uincere morbos
Hærentes animis, læsæ & contagia mentis.
Da uelut agnoscunt tua iussa, tremuntq; uerendum

Impe-

Imperium unanimes, & sanctum numen adorant
Qui sociata colunt cœli commercia ciues,
Siue chori angelici, siue e tellure recepti,
Sic quoq; nos misera mundi qui in ualle tenemur
Spemq; animis alimus cœli, regniq; paterni
In te compositi unanimes uiuamus, & uno
Consensu tua uerba pij, tua iussa colamus.
Omnibus in te sit pietas, amor omnibus idem.
DA pater hæc etiam uitæ quorum indiget usus,
Dimensum da cuiq; suum, quo corpus alatur.
Qui uolucres pascis magnum per inane uolantes.
Qui flores etiam decoras, & lilia campi.
Hei pereant, quos urget amor sceleratus habendi,
Quos iuuat artifici passim ditescere fraude,
Qui specie sua furta tegunt, alijsq; rapaces
Inuigilant opibus quàm quas Deus omnib. offert.
Da uictum nos posse tuo sperare fauore
Officij memores, iussos præstare labores,
Et curam mandare tibi, tibi reddere grates.
Hoc etiam ex animo petimus, da libera uerbo
Incrementa tuo, da qui sincera professi
Dogmata nos doceant, rectaq; ad sidera ducant.
Ipse magistratus præsens tua munera serua,
Iustitiæq; illis, ueræ & pietatis amorem
Inspira. placidæ da nobis tempora pacis,
Vt uigeant artes de te instrumenta docendi.

 En De-

EN Deus infecti peccantis ab ubere matris
Quotidie iustam nos te irritamus ad iram,
Respice nos bonitate tua, qui mitis in omnes
Et solem, & pluuias iustisq; malisq; ministras.
Nostra trahens quoties ueteris contagia culpæ
Deficit a recto studijs mens lapsa sinistris,
Degeneris miserere Deus, succurre labanti,
Affectus compesce malos, siue ira furorem
Præcipitat, roditq; niger præcordia sanguis,
Seu dolor inuidiæ, seu nos uindicta lacessit,
Siue odio ardentes ferimur, seu dira libido
Ingenium a uero cœpta in contraria uersat.
Da ueniam miseris, nec noxam iure coerce.
Quod si ex iure manu consertum poscere mens est,
Nos caussa cadere, & longe ante perire necesse est.
Ignoscas miseris, ut nos ignoscimus illis
A quibus offensis nobis iniuria facta est.
Hei nimium meritæ securi in tempora pœnæ,
Quorum sunt ueniam præcordia claussa precanti,
Ille suis ueniam nec quidquam erroribus orat,
In quem sic hebetis cadit obduratio mentis
Nesciat ut læsus lædenti ignoscere culpam.
Hanc Deus o procul hinc dignere auertere pestem,
Da ueniam danti ueniam, neue amplius erret
Corruptæ uicium dignere extinguere mentis.
ECCE cateruatim nos vndiq; & undiq; tentat

Insidijs

Inſidijs coluber, primum non paſſus Adamum
Conditione frui quam te donante tenebat.
Quos non ille dolos, quas non excogitat artes?
Vt genus humanum tenebris inuoluat, & omnem
Eripiat lucem miſeris, & numina uerbi
Noticiamq; tui, quæ non incendia miſcet?
Quas ſcelerum cauſſas non inuenit? ille rapinas
Ille mouet lites, peſtes, homicidia, morbos.
Vt lupus eſuriens, uentris ſtimulante dolore
Per nemora & ſaltus, per flumina, iugera, rupes
Sæuus abit, ponitq; uago ueſtigia luſtro,
Donec oues tandem pleno deprendit ouili.
Tum furor exacuit dentes, & duplicat iram,
Irruit in numerum graſſator & omnia turbat,
Sic, ſi immane licet paruo componere monſtrum
Spiritus immundus mille ingenioſus ad artes,
Mille opifex fraudum, ſcelerumq; magiſter & autor,
In nos graſſatur, tua qui mandata profeſſi
Te colimus natumq; tuum, numenq; fatemur,
In prædamq; inhiat, uoluit caligine mentes,
Seducitq; homines non hæc ad munera factos.
Hic uires effunde tuas, hic pectora firma,
Angelicas hic excubias, hic fulmina uerbi
Certa tui largire Deus, quibus obruat hoſtem
In te noſtra fides, & uinci neſcia uirtus.
Non ego dura pati diſcrimina mille recuſo,

Dum

Dum tua constanti tueor mandata labore,
Sed ne deficiam, ne sæuo uincar ab hoste,
Tu mihi præsto ueni, tu suffice robora presso.
DEnicq; ab aduersis nos eripe & assere rebus
Omnib. huius habet series quas impia mundi.
Nos nutu defende tuo, seu nominis hostis
Degener ille tui mendax homicidacq; mentes
Obruit insidijs, scelerumcq; in retia uersat.
Seu nos sollicitat pietati inimica tyrannis.
Ecce fremunt, & bella petunt funesta tyranni,
Inuisum quibus est fidei & damnabile nomen,
Qui faciunt turpes uera e pietate cothurnos
Quando libet, solocq; colunt tua dogmata fuco.
Ecce ruit, fœdatcq; tuas sus horrida geminas.
Illa infanda, procax, meretrix Babilonica, coniunx
Horrendi sathanæ, cui septem guttura pendent
Et totidem capita, hei diris suffusa uenenis
Monstrum immane, ingens, pietatis lumine cassum,
Quodcq; sua mundo mouet impietate stuporem.
Hei quas hoc furias secum trahit? omnia diro
Qua uenit infestat uicio, labemcq; nephandam
Euomit, infestum spirans ad sydera uirus.
Tu tamen hic aliquem pateris Deus optime talem
Quicq; tuo e populis de nato dogmata tollit,
Quicq; ferox animo sanctos sibi sumit honores
Qui tibi debentur, falsocq; superbit honore?

Secq;

Secq supra reges extollit & omnia mundi
Imperia, & fastu tumidus late omnia complet,
Vnanimo rupto diuellens fœdere reges,
Inspiratq illis rabiem, mortisq furorem,
Orbis & afflicti rabido sitit ore cruorem,
Imperio infestus, pacis uiolator & hostis.
Illius insidias, funestamq illius iram
Blasphemæq dolos linguæ, technasq nocentes,
A nobis te iuste Deus profitentibus arce.
Aut sua cum tandem mors iura nouissima poscet,
Deuicto hoc monstro, superato Dæmone, & omni
Curarum ingluuie, da mollem in funera somnum.
Composito da fine mori, membrisq solutus
Fac reddam patrio uitæ spiracula cœlo.
Talia vel certe non his diuersa Philippe
Orandus Deus est, saluantis nomine Christi,
Diuina æterna genitum quem mente voluntas
Donauit terris, ut pondera tanta subiret
Humanæ noxæ, perituri & crimina mundi
Ablueret, non ipse nocens, non ipse piandus.
Tantæ molis erat lapsam reparare salutem.
Ille igitur mortis domitor, uitæq redemptor
Ad patrem assistens æquali numine, nouit
Qua miseri careamus ope, qua mole premamur.
Ille intercedens offensum crimine nostro
Conciliat placatq patrem, nil denegat illi

F Per

Per quem cuncta facit, Deus & pater ipse creator.
O quicunque cupis traducere molliter æuum
Menteque tranquilla cœlestem accedere uitam,
Fide Deo, & contra mundum feruentius ito.
Orandi studium ne desere, fungere iusso
Officio, feret hæc plenos tibi regula fructus.

ORATIO DOMINICA IAMBICO DIMETRO.

DEus sator mortalium
Terræ potens & siderum,
Qui mitis in nos asperos,
Grauisque culpæ conscios,
Gaudes patris vocabulo,
Nutuque seruas omnia.
Fac innotescat omnibus
Nomen tuum mortalibus,
Verbi tui suauissima
Sic instruat nos gratia,
Vt te colamus vnicum
Sicut iubes per filium.
Accende mentes lumine,
Tuique regni imagine,

Vt in-

Vt inchoent hic aurea
Vitæ perennis sæcula.
Regno tuo nocentium
Infringe uires hostium.
Fac nostra semper ut tuis
Mens acquiescat legibus,
Consentiat cum cœlica
Terrena pax concordia,
Iussum ministret mens opus,
Curæ tibi sit exitus.
Dum congregatim viuimus,
Largire nobis quæsumus
Externa vitæ commoda
Quibus uigent commercia,
Agnoscat ista charitas
Agatque uere gratias.
Ignosce noxam sontibus
Culpæque uim dolentibus,
Delicta si nos hostibus
Non asperi remittimus,
Da pœnitere mens queat
Vt te iuuantem sentiat.
Nusquam sinas nos obrui
Draconis astu perditi,
Captos sed hostis artibus,
Tuis tuere viribus,

Fac militemus ſtrenue
Et compotes uictoriæ.
Nos adſeras ab omnibus
Calamitatum caſibus,
Ducemq; mentem corporis
Ex mole duri carceris
Cum poſtulabunt tempora
Hinc tranſferas ad ſydera.
AMEN.

PRECES MATVTINAE.

OMnipotens, æterne Deus, mens edita nullo
Principio, mens fine carens, mens omnia cõplens,
Omnia quæ uerbo motum ſpirante creaſti.
Alme pater, triplici ſimplex in numine numen,
Qui culpam humanam, & caſum miſeratus acerbum
Mente tua genitum Chriſtum, cordiſq; paterni
Effigiem, miſero placide largitus es orbi,
Vt Deus accipiens humani corporis artus
Victima pro noſtra caderet non noxia culpa,
Illum etenim mittens cœleſti uoce dediſti
Signa animi manifeſta tui cum clanguit æther,
Hunc audite, mihi dilectus filius hic eſt,
In quo lætitia eſt, in quo mihi ſancta uoluptas.
Sancte Deus, ſapiens, fortis mitiſſime Iudex,

Caſte

Caſte, potens, liber, qui præſtas omnia ſolus,
Vt tua non aliquem bonitas habet inclyta finem,
Sic precibus ſis præſto meis. En omnia culpæ
Agnoſco monumenta meæ, pœnaſq; paueſco,
Et doleo peccaſſe miſer, cupioq; renaſci.
Reſpice me miſerum, culpam miſerere fatentis,
Tu ſiquidem es uiua miſeris ſic uoce locutus,
Viuo ego uiuo Deus, lapſi non expeto mortem
Sed volo conuerſum ſalua reſipiſcere uita.
Quin etiam ille tuus, qui tecum tantus & idem,
Proſtrator mortis Chriſtus, mitisq; Sacerdos,
Per nomen tua dona ſuum nos poſcere iuſſit.
Hunc propter miſerere mei, mea pectora purga
Vi ſpirante tua, labemq; abſterge nocentem,
Vt ſint pura tui templa & domicilia verbi.
Tum linguam regere atq; animum dignare uagantem,
Ne uelit illa loqui, tua quod diuina uoluntas
Non probet, & meritam quod te ſuccendat in iram,
Neue hic degeneris ſecurus in otia uitæ
Lapſus, ab anguſto deflectat tramite veri.
Collige, redde, foue, rege, reſpice, flecte, guberna.
Exiguum hunc cœtum, qui uero agnoſcere cultu
Te didicit, natumq; tuum ceu debet honorat.
Hæc etiam ſtudia & dextras quas diſcimus artes
Fac tueare Deus, quibus inſtrumenta docendi
Perficit, & leges uiuendi ſupp[illegible]t uſus.

Inde tuum uerbum recte tractare facultas,
Inde tibi æternas resonans Ecclesia laudes.
Gaude animæ uis tota meæ, mihi præbuit aures
Qui nescit duro fidentem fallere uultu.
Iamq; opus incepto mihi rideat omne labore,
Totaq; lux abeat faustis fœliciter horis.

ALIAE PRECES CARMINE ELEGIACO.

COnditor o rerum, rerum seruator ab æuo,
Extra quem non est ullus ubiq; Deus.
Quod redeunte fruar post actas luce tenebras,
Gaudeo, & agnosco munus id esse tuum.
Tu genus humanum primum sine labe creasti,
Vt sancte uultus uiueret ante tuos.
Quam male desciuit, quam turpiter excidit illud?
In mortem propria dum leuitate ruit.
At bonus es solus, iustamq; ut concipis iram,
Sic illam patria pro pietate premis.
Ergo admiranda natum pietate dedisti
Innocuus nostrum ferret ut ille scelus.
Qui percussa fuit pro nostra uictima culpa,
Et uetus a nobis abluit omne nephas.
Ingentes igitur toto tibi pectore grates.

Perpe-

Perpetuus doni debitor huius, ago.
Teq; precor supplex dilecti nomine nati,
Me rege, me totum numine flecte tuo.
Auspice principium te spectet, & auspice finem,
Quicquid agam, uitæ dirige cepta meæ.
Ipse magistratus etiam, cœtusq; piorum,
Vt tua conseruent dogmata sancta, rege.
Da pacem uictumq; tuis, compesce tyrannos,
Vt maneat uerbi gloria iusta tui.
Hac ego spe fretus, quod uitæ postulat usus,
Suscepti aggredior dulce laboris onus.

PRECATIO VESPERTINA

IAm mea declino nocturno lumina somno,
Omnia mox rigido membra sopore premar.
Nec scio num possim redituram cernere lucem,
An mihi sit somni mors obeunda soror,
Sed tibi summe Deus, Deus inuictissime grates,
Quas toto possum pectore gratus ago.
Incolumem qui me voluisti hac luce tueri,
Ne vitam premerent vlla pericla meam.
Quiq; repressisti grassantis dæmonis iram,
Qui rabido populos circuit ore tuos.

Nunc

Nunc quoque dum iaceo ueluti morientis imago,
Mi Deus, hæc nutu membra tuere tuo.
Ne lasciua meos perturbent somnia sensus,
Organa tu mentis dirige crassa meæ.
Fac tuus immanem procul angelus arceat hostem,
Cui proprium est regni lædere membra tui.
Crastina sic cernens redeuntis tempora lucis,
Grata tibi memori carmina mente canam.
Iam cessent curæ, placidi requiescite sensus,
Tu mihi iam Christo somne fauente ueni.

PRECATIO PRO EC-CLESIA DEI EX VERBIS Esaiæ, Cap. LXIII.

Conditor o cœli, subiecti conditor orbis,
Ante creata Deus, sine origine viuus & vnus
Fine carens, solusque potens, atque omnia præstans,
Qui pater es, gaudesque patris pietate probari,
Qui patrio fidi gentem Israelis amore
Ipse gubernasti, Pharij cum tela Tyranni
Effugeret, medias illæsa per æquoris undas.
Tuque patris fili, diuinæ mentis imago,
Christe Deus, miseris sed homo dignate uocari,
Dum mortem meritis preciosa morte salutem

Et ui-

Et uitam reddis, Mediator & optime testis
Ante patrem ueniæ, patria qui mente uerendus
Ceu dextra trepidum comprendens uindice Mosen
Agmina Erythræas duxisti tuta per undas,
Stante graui ceu mole freto, ponentibus Euris,
Et siccis pedibus populo calcante profundum.
Tuque patris natique simul spirabile numen,
Quod mentes hominum diuino accendis amore,
Pectoraque instauras, & uires cordibus addis,
Spiritus alme, tuo populis qui robora flatu
Aspirans, motus faciles, uiresque dedisti,
Cum uada purpurei penetrarent inuia ponti,
Et similes starent æternis rupibus undæ,
Impiaque immanem fallens audacia regem
Arma uirosque imi raptaret gurgite fundi,
Hoc etiam summo miseri in discrimine mundi
Parua sub ingenti dum pressa Ecclesia motu
Fluctuat, & regum manifestam sustinet iram
Summe pater mentes populique ducumque guberna.
Nate potens agmen positæ dux eripe fraudi,
Spiritus adflatu da motum, & suffice uires.
O æterne Deus, dux unice, & unice uictor,
Affer opem tanto quassatis turbine rebus,
Et caussam defende tuam, tua gloria uincat,
Dum tua sincere populo mandata professo
Non unus Pharao ferrum minitatur & undas.

Da uires animis, da nescia pectora frangi,
Arma fide superare doce, pietate tumultus,
Vt queat insanis Ecclesia pressa Tyrannis
Impositum perferre iugum, uictrixq; ferendo
Pace colens aliqua diuini oracula uerbi
In patriam, saeui reuocare catharmata mundi,
Et tandem ad coelum spretis euadere terris
Ante patrem aeternum Christo ducente triumphum.

DE VI ET EFFICACIA ORATIONIS.

Quisquis in hoc vario vitam discrimine rerum
    Carnifici lugens hospes in orbe trahis:
Si modo non animum despondes, si modo vero
    Agnoscens gemitu numina uera colis,
Nulla adeo est atrox ullo uiolentia casu,
    Quae rebus ueniat pernitiosa tuis.
Fide Deo, & contra fortunam audentior ibis,
    Omnibus oppressos liberat ille malis.
Quid quod & inuitat? quid quod sese omnibus offert?
    Et patrio cunctos motus amore uocat?
Quisquis in aduersi iactaris turbine fati,
    Et male difficili tempore pressus habes,
Ad mea suspira sublato numina corde,
    Ipse tibi praesto tutor & ultor ero,

Ipse

Ipſe ego te ereptum medijs ſeruabo periclis,
Omnibus ærumnis, me duce, liber eris,
Sic ait, æquæui facunda per organa flatus
Ipſe boni & ueri fons & origo Deus.
Quæ uox? q̃ harmonicis chelis argutiſſima neruis,
Quis ſonus hoc poterat dulcior eſſe ſono?
Ecce cruoriuori premeris ſub lege Tyranni,
Vincula uel ſæuo captus ab hoſte geris,
Aut tibi ieiunas ſtringit penuria menſas,
Aut uaſtat patriam peſtis acerba domum,
Aut menſuræ expers, immanis bellua, bellum
In tua non merita tegmina clade ruit:
Aut tibi ſubiectæ tollunt bona patria flammæ,
Impius aut partas miles ademit opes,
Protinus auxilium, ſolatia, robur habebis
Orabis puro ſi modo corde Deum.
Dum loca bis quatuor Moſes per inhoſpita luſtris
Iuſta Deo addicto milite bella gerit,
A populo quoties pœnam ruditate merenti
Deflexit precibus dira pericla ſuis?
Angelus Achacidæ precibus legatus in hoſtem
Agmina diuina delet iniqua manu:
Fauce ſiti preſſa precibus fortiſſime Samſon
Es ſubiti puras fontis adeptus aquas.
Obruit ignita tres in fornace precantes,
Sæua ſed illæſos perdere flamma nequit.

Asseruere preces sæuorum ex ore leonum
Innocuum vatem Mede Darie tuum,
Saphatidi Syriæ nec quicquam vincla Tyrannus,
Dum facit is puro pectore vota, parat.
Liberat e Cete fidentem oratio Ionam,
Dum firmo in medijs pectore fidit aquis.
Per mare iactatus, terræq; pericula Paulus
Ad dominum fusa vincit vbiq; prece.
Fracta cadunt manibus confiso vincula Petro,
Dum læto auxilium predicat ore Dei.
Quid tamen exemplis opus est? exempla petenti
Quælibet ostendit milia multa dies.
Nonne Deus nobis mensas spectantibus auget?
Consecrat adpositas cum pia lingua dapes.
Nõne hominũ numerus sata grana æquare videtur
Quæ pius agricolæ misit in arua labor?
Plena tamen mire distendunt horrea messes,
Præsentemq; docet copia larga Deum.
Quod si idem fieri Geticæ caussabere genti,
Aut si qua est alibi gens aliena Deo,
Næ data præsentis dum carpit commoda vitæ
Ante Deum æternis est caritura bonis,
Vt casta uult mente coli, precibusq; vocari,
Sic negat oranti munera nulla Deus.
Tu modo ne tempus votis prescribe vocato,
Sæpe Deus differt, quæ cito facta nocent.

Ipsi

Ipsi tota tuæ ratio est notissima vitæ,
Arbitrium voti finiet ipse tui.
Nec peregrinanti uox irrita mente feratur,
Nec sonet ignaro pectore lingua preces.
Heu cæcos animis, suaq; in mala sponte ruentes
Quos res a memori distrahit ulla prece.
Aut qui dum fuse, sic re cogente, precantur,
Tam sanctam trepidi rem dubitanter agunt.
Ethnicus ignotis sic diuis concinit Orpheus,
Sic hymnos dubio ludis Homere sono.
Vox cōcors cum corde sonet, mens pura precetur,
Et ueniam in solo quærat, opemq; Deo.
Mens humilis, culpæq; dolens, fidensq; salutis,
Ardua perruptis nubibus astra subit,
Per mediatorem firmans vestigia Christum,
Non aliter compos, quod cupit, illa feret,
Ipse Deus presto est, & proximus omnibus illis,
Qui uera faciunt agnitione preces.
Illum adeo vero quicunq; verentur amore,
Omnia gauisi, quæ uoluere, ferent.
Vt se saluifici patefecit munere verbi,
Sic sibi uult proprio solus honore coli,
Nec cultum agnoscit, quem Christi gloria nescit,
Illius oratus nomine cuncta dabit.
Ergo suis subeat sua fata furoribus orbis,
Quem iuuat a uero semper abesse Deo.

Cladibus inuoluant insanæ hæc tempora mentes
Omne ausit regni dira cupido nefas,
Te pater inuicti sacro cum numine Christi,
Mente fide plena te voco viue Deus.
Qui te saluifici manifesto munere uerbi
Perspectum populis omnibus esse cupis.
Et uelut e speculo, tua quæ sit uera voluntas
Præcipis e gnati discere morte tui.
A te uera salus, tu tanto in turbine rerum
Auxilio serua mecq; meosq; tuo,
Neue animum rapiat secum sentina malorum,
Da mala pacata publica mente pati:
Ecce caput diro pugnat cum corpore fato,
Et rapit insontes sæuus in arma furor.
Paruulus ista tuus trepide grex prelia spectat,
Et fieri in pœnas talia cuncta dolet.
Heu multos belli uis impia raptat eorum,
Qui ferro certe non meruere mori.
Vt volitans rupto violentus ab aggere torrens.
Cum pecore innocuas flumine tollit oues:
Sic late extendens crudelia brachia bellum
Versat in innocuas publica damna domos.
Ah quam sancta tui fœdatur gloria verbi,
Dum dictu mauors facta nefanda facit,
Aure Deus placida gemitus admitte tuorum,
Et dubijs certa consule rebus ope.

Obiectas

Obiectas arce nebulas, & nubila pelle
Quæ uerbo inducit vis manifesta tuo,
Impia mordaces conantibus iniice frenos,
Nominis extinguant ne monumenta tui
Ne cogant propriam nos abiurare salutem,
Quæ sola gnati morte parata tui est.
Sed tu iam Christi famulatrix musa potentis,
Siste querelosum, fineq; claude melos.
Cor sine spe plenũ expectet, quod lingua precatur,
Sic Deus oblato munere largus adest.
Fisa Deo cupidum firmet patientia pectus,
Omne malum in Christo, si patiare, leue est,
Christe potens mundi domitor, rex maxime regũ
Auxilio foueas meq; meosq; tuo.
Tu potes in medio pacem donare tumultu,
Vt nusquam mentis sentiat arma quies.
Naufraga delirans subeat sua tempora mundus,
Sacra mihi præsens anchora Christus erit.
Hoc duce sæuorum pelagus superabo malorum,
Iam valeat mundus, Tu mihi Christe faue.

PRECATIO REGIS IOSAPHAT EX LIB: II PARALIPOMEN: Cap: XX.

Dum

Dum nos aucta malis miseros atrocibus urgent
Tempora plena dolis, tempora plena minis,
Siue manet pressis diri uiolentia belli,
Quæꝗ abolet pacis vis inimica decus,
Seu crudele grauat falsa nos lege tribunal,
Damnat & immeritos vox uiolenta reos,
Siue lues atris exurit febribus artus,
Seu terit exanguis uiscera sicca fames,
Mitis ab his terris gemitus pater accipe nostros
Mandati sonuit vox ubi clara tui.
Hic quoniam largo tua gratia munere fulsit,
Factaꝗ per nomen vota fuere tuum.
Da Deus in te vnum syncero pectore fixi
Intrepide faciem stemus ut ante tuam,
Et nisi nos merita tua gratia deserat ira,
Stabimus, inꝗ tua uota feremus ope,
Fundemusꝗ preces fido clamore sonantes,
Vt tanti auertas tristia fata mali.
Et tu respicies miseros, dubijsꝗ benignam,
Rebus opem, patria pro pietate, feres.
Ecce dies & tempus adest, quo feruidus hostis
Irruit, & ferro uiscera nostra petit,
Deleat ut grata pulsos e sede colonos,
Munere, quam tenuit nostra propago, tuo.
Ne paciare Deus grassari impune Tyrannos,
In nomen ducunt qui fera bella tuum.

Et quia

Et quia tanta nequit nostro uis Marte retundi,
Et superat nostras copia tanta manus.
Dum mens nostra graui caligine mersa laborat,
Nec bene quid deceat pectora cæca uident,
Ad te oculos fixos fida cum mente leuamus
Tu gemitus audi votaq; nostra Deus,
Tu rege conatus, tu robora mentibus adde,
Vt tibi quod facimus omne probetur opus.

LOCVS ESAIAE XLIX.

O Re Sion querulo sic est formosa loquuta
Cum quærente Deum mœsta pauore foret,
Ergo reliquisti me tot mala dura ferentem
Et memor afflictæ non es ut ante Deus?
Huic Deus. An poterit curam deponere prolis,
Vlla parens partum non miserata suum?
Si tam dura tamen tamq; implacabilis ulla est,
Vt possit sobolis non meminisse suæ,
Ipse tui nunq; mutabo oblitus amorem,
Tu dilecta mihi filia semper eris.
Ecce manu descripta mea tua mœnia seruo
Vt firma incolumem te statione tegam,
Ecce oculis te gesto meis mihi cuncta uidenti,
Proxima ceu nunc es, proxima semper eris.

CARMEN SAPPHICVM PRO REMISSIONE PECCATORVM.

MOllibus nati pater ut labellis
Osculum figens animum calentem
Pandit, & dulcem simul afflat alti
Cordis amorem:
Sic tuam in Christo sobolem redemptam
Et foues mitis Deus, & paternæ
Mentis aspirans animam benigno
Numine seruas.
Illud, æternum patris atq; nati
Robur exercens, recreata uerbo
Erigit, fulcit, renouatq; sancto
Pectora motu.
Nescit humanum genus omne, nescit
Eloqui mundus tua quam sit ampla,
Et sinu terræ bonitas, & alto
Maior olympo.
Candide iuras, ego triste nolo
Funus errantis, redeat sed ultro
In uiam, & ueræ placido fruatur
Munere uitæ.

En ego

En ego infecta uiciosa matris
Vlcera, & sæui saniem Dracronis
Pertraho mecum, propriaqꝫ mersus
Sordeo culpa.

Audio sanctæ pia iussa legis,
Cæca sed torpet mihi mens, uoluntas
Frena formidat, tumido repugnat
Viscere pectus.

Et tamen riuos lachrimor fluentes,
Percitus uero quatior dolore
Pœnitet culpæ, ueniamqꝫ toto
Pectore ploro.

Cede uirtutis sapientiæqꝫ
Dignitas omnis, opera & labores
Factaqꝫ Heroum, tumidæqꝫ Regum
Cedite uires,

Tu mihi dextram pelago natanti
Porrigis, mortis domitor, tibiqꝫ
Christe fidenti ueniam & salutem
Suggeris ultro,

Cum uoles ergo, moriar triumphans,
Et tuis hærens humeris beatæ,
Regna conscendam mihi parta vitæ,
Christe redemptor.

LOCVS ESAIAE LXV.

VT sua qui lustrat prudens vineta colonus
Dum piger autumni perdidit annus, opes,
Cum videt intactum cœlo, superesse racemum
Vnde queat musti pars quotacunque premi,
Parcite ait famulis, prouentu numen in illo est,
Hinc aliquis uini sic quoque gustus erit.
Sic ego qui uiua Deus omnia mente guberno
Cui dolet humani caussa pudenda mali,
In morem Agricolæ parcens, non omnia perdam,
Iure tamen perdi quæ potuere meo.
Si quis adhuc restat, quamuis uiciosus & æger
Propitio curæ quem iuuet esse Deo,
Hunc ego seruabo, raram ceu vinitor vuam,
Perpetuo regni pars erit ille mei.

PRECATIO.

Erhalt vns HErr bey deinen wort etc.

SErua Deus verbum tuum,
Et frange vires hostium,
Qui Iesum filium suo
Turbare conantur throno.

OStende nunc potentiam
O Christe rex regum tuam,

Defende paruulum gregem
Qui te fatetur principem.

Viuificator ſpiritus
Concordiam da cordibus,
Ades periclitantibus,
Cum morte conflictantibus.

ALIA

Da Deus lætæ bona ſancta pacis,
Quæ vacet vitæ ſtudijs honeſtæ
Debito ſemper tibi quæ timore
ſeruiat uni,
Pace fœcundæ nutriuntur artes,
Et uigent urbes populiqꝫ leges,
Omnis & uirtus pietaſqꝫ vero
Clarat honore.
Aſt ubi Mars eſt, ibi nil honeſti,
Sed iacent leges, ſilent inter arma
Quicquid eſt ſanctum, pietas & omnis
Languet honeſtas

ALIA.

Adſere nos verbumqꝫ tuum Deus optime ſerua,
Et rabiem Turcæ pontificumqꝫ preme.
Qui tecum æquali regnantem fœdere Chriſtum
Conantur patrio præcipitare throno.

Da pacem, defende tuos tibi semper ut omnis
Posteritas laudes hic & vbiq; canat,

DVO LOCI EX PSALMIS. PSALM: XXV INTEGRITAS ET IVSTITIA CVSTODIANT ME ETC.

PSALM: CXII BENE VIRO ISTI QVI ADMINISTRAT NEGOCIA SVA IVSTE.

SIc nos hæc terit & fatigat ætas,
Vt sint plurima perferenda multis,
Qui culpa vacui ferunt nocentum
Pœnas immerito, dolentq; culpæ
Externæ graue, plumbeumq; pondus.
Ergo sit cynosura, & una semper
Nostræ regula nauigationis,
Verum nosse Deum, & pie vereri,
Mandatæq; ducem professionis
Syncero officij timere cultu:
Tum præsens tibi quicquid hora sortis
Aspergat sine stomacho libenter
Amplecti, & furiosa probra uulgi
Motis tradere distrahenda uentis.

Foelix

Fœlix, & merito beatus idem,
Quem iuste iuuat exequi labores
Quoscunque officij decus requirit.
Non ille a strepitu sibi timebit
Famæ præstigijs tumultuantis,
Dum uel bella uagos mouent pauores
Er serpunt hominum dolis politi
Rumores siliquis inaniores,
Vel fortuna rotam maligna vertens
Immutat bona, tessaramque frangit.
Illi cor stabile, & fide probatum,
Affixumque Deo, benigna pręstat
Syncerae documenta disciplinæ
A fuco procul & dolo remotum:
Præstat quod fieri pie necesse est,
Euentusque Dei in sinum reponit:
Addit se comitem Deus per ipsas
Aerumnas patrio fauore lucens.
Hic vitæ modus est, hæc una summo
Virtus grata Deo: timere verum
Pura mente Deum, cauere morsus
Qui mentem sibi consciam perurunt,
Et plenis alios iuuare uelis.
Sit dux integritas, comes sit huius
Quæ ius cuique suum benigna defert.
His alis iuuet e salo profundo

Emersum

Emerſum & pelago periculorum
In campos nitidi euolare cœli.

AD DICTVM CHRISTI, QVAERITE PRImum regnum cœlorum etc,

DIſce Deum toto uenerari corde Iuuentus,
Illius & uero iuſſa timore ſequi.
Cura ſit inde tibi ciuilis proxima vitæ,
In patriam, inq; homines quæ iubet eſſe pium
Sic tibi, quæ cupies, fœliciter omnia cedent,
Omne erit & duri dulce laboris onus.
Quære Deum primum, ſic omnia diues habebis
Ante homines uoti compos & ante Deum.

PRECATIO AD DEVM PATREM IN TEMPEState fulminum.

COnditor rerum, ſapiensq; rector
Vindicis noſtri pater alme Chriſti,
Cuncta qui nutu patrioq; præſens
Numine comples.

En ni-

Densior fumis, gelidisq́ nimbis,
Reddit incluso sonitum vapore,
Et Notho miscens tonitru sequaci
Fulminat aer.

Quis fragor? quonam ueniens Magistro
Maius humano imperium furore
Monstrat, & reges trepidos, & altas
Territat urbes?

Tu moues fulmen simul & coherces
Imperas uentis Deus, & gubernas
Quicquid & tellus, gremiumq́ terræ
Sustinet aer,

E tuis actis homini negatis
Emicat virtus tua & altitudo,
Et tuam ex ipso ualidam notamus
Fulmine dextram.

Vidimus Salam trepidi retortis
Rura sorbentem violenter undis
Vidimus fusco semirupta telo
Tegmina lambi,

Sic pater proli ferulam merenti
Monstrat, ut uiso resipiscat ictu,
Signa commoti tremimus parentis,
Parce precamur.

Parce delictis, ulcijsqꝫ noſtris
Duriter læſus, moderare pœnam,
Cæca uentoſæ grauiter dolemus
Crimina culpæ.

Spiceis ſurgant ſegetes ariſtis,
Vineæ læto tumeant falerno,
Et tuæ teſtis bonitatis, omnis
Rideat hortus.

His bonis grato ſtudio vt fruamur,
Tu regas cœtus miſeros, tuiqꝫ
Diuitem aſpires cupidis amoris
Cordibus auram.

Non agri tantum pabulo feracis
Viuimus, verbo ſed & efficaci,
Quod tuo miſſum omnipotens Creator
Exit ab ore.

Vim tui verbi placide ſonantis
Hauriant aures, teneantqꝫ mentes,
Et tibi, viuo fidei facultas
Ferueat æſtu.

Da probos mores docili iuuentæ,
Da pijs Muſis generoſa pacis
Tempora, ut uero tibi uera conſtet
Gloria cultu.

DICTVM TERTVLLIANI. CRVOR SANCTORVM SEMEN ECCLESIAE.

Hæc eſt ingenui natura arcana cruoris,
Impia quo ſancti martyres arma lauant,
Plenius hoc Chriſti fœlices irrigat hortos,
Quo uelut effuſo largius imbre fluit.
Inde pijs animis Chriſtumq; animoſa profeſſis,
Meſſe uenit ſurgens uberiore ſeges.
Dum mactare pios gaudet furioſa Tyrannis
Sæua pios etiam carnificina facit.

AD DICTVM CHRISTI. NE SITIS SOLLICITI. Matth: VI.

Quam ſit præſidiũ humanũ ſine robore, & omni
Quæ timida a longe pectora firmet, ope,
Hic docet, hoc Sapiens arcano dogmate CHriſtus,
Sollicitos homines dum uetat eſſe Deus.
Namq; pater, uigili qui proſpicit omnia cura,
Fidentes alia nos ratione iuuat,

Mente Deo fisa, tu iusso munere fungi
Asuesce, Euentum prouidus ille dabit.
Hoc illi proprium est soli, quod mundus, & omnis
Ex sese, ut capiat, sculpere nescit homo.
Ille fidem occulto crescentem numine donans
Auriferi similem fluminis esse facit.
Ergo fides animi CHRIstum comprendere docti,
O homo, sit vitæ regula certa tuæ.
Nulla tibi deerunt sic gratæ commoda vitæ,
Nam bona, quæ nescis, sponte dat ipse Deus.
Lilia qui nitidis regaliter ornat in hortis,
Et decus ignaris floribus esse facit.
Ille bonis omni sibi succedentibus hora,
Fidentem, patria te cumulabit ope.
Hoc supra captum est hominis, sed disce uocanti
Fidere, sic omni tempore diues eris.

FINIS.

IENAE

Excudebat Christianus Rœdinger.

ANNO SALVTIS

M. D. L. V.